sui Dei ostendat faciem suam afflictissimae sponsae suae. Amen. Domestica fol. 33.
mihi fere uno cursu hactenus nituntur. Pueri idem qui Bremae mecum exulaverant, [41]
vant, accessit uxor non sine quorundam ioco, quod tam iuvencula sed mihi ducta est,
qui scio doctus, spinam nisi cum tenera est tractari non posse. habemus domi tertiam
quandam Ecclesiam in qua quotidie sonamus aliquid ex verbo vivifico et contritis
tis animis Deum vitae nostrae fidelissimum Custodem invocamus, caetera ipsius cu-
rae concredentes. Corneliae cognatae, quae iam ante biennium nuptiarietur in quadrage-
sima dedi maritum adolescentem honestum, qui me olim in Brabantia Magistrum
habuit. atque ut scias meam munificentiam nuptiarum sumptus ego feci, et pro dote 20
daleros dedi, chirurgus est, satis idoneus ad panem quaerendum. Sed quibus ego nu-
gis epistolam infarcio plane ut olim in colloquiis familiaribus solebam abuti tua pa-
tientia et pueriliter ineptire, qua in re si me tunc acriter (ut par erat) reprehen-
disses, non ego nunc in eundem lapidem impegissem. D. Petro Salon sen. pijs-
simo eidemque facetissimo precor laeticiam perpetuam. Dominus tuam fidem et cha-
ritatem in sanctos augeat et diu Ecclesiae servet. Amen. Doricus valde bene se
gerit. Beatus est te patrono, et tu beatior cui Dominus hoc cordis dedit, ut
in tam dignos beneficia tua colloces. Vale. Duisb. 1560. 20 Martij

Vester Johannes Molanus.

D. Aegidio Berio. Francoforti.

Salus per Jesum Christum.

Venerande frater audisti nuper de rebus nostris nonnulla, quae nunc possim, Nr. 55]
scribere sunt illis superioribus fere consimilia. Angustè scilicet se res habet, etiam
nunc nobis non minus in schola: quam in Ecclesia. Nempe hic operarij pauci [= hscr. a. 11: Nr. 195]
sunt, illic messis exigua. Sed ego incredibile est quam sim pertinax in bene sperando.
Ut enim aliquid lucis video non dubitem a Deo Patre fidelium, aliquid non poenitendum
successum expectare, qui subinde confirmat nobis animos non ambigua suae praesentiae
significatione. Narrantur fortasse isthic de nobis parum speciosa, nimirum (ut est primizum
apud Fabium) fundamenta latent, fastigia spectantur, et sunt passim multi
nimis morose iusti, qui non satis perpendunt Ecclesiam dispersionem quandam
esse, multis ubique scandalis deformatam, in qua dociles pro doctis, auscultantes
pro sapientibus, imitatores pro perfectis habentur. Parum quoddam divinae
potentiae opus est vel domus una sit undique virtute Spiritus sancti munita ut
nulla in eam ruina pateat hosti dispergenti. Certe quorum morsus eius horrendos
saepe privatim experti sumus, non possumus coetus publicos non credere multo fu-
riosius ab eo lacerari, praesertim sicubi adhuc inter impiorum cultuum spinas, se
profert tenera pietatis messis in herba. Isthac sane Ecclesia vestra singula-
ri beneficio Dei iam annis aliquot luculenter floruit, sed valeat hic etiam
illud vulgi: Non cuivis homini contingit adire Corinthum, et tamen fide
con-

confessione, inuocatione, et puriorus Ecclesiæ, quacunque possumus ædificatione, et propugnatione sub uno capite Jesu Christo, uobis et omnibus æternæ uitæ hæredibus unanimiter coniuncti simus. In hac coniunctione dum licet nobis consistere, per Dominum faciemus debita nostræ uocationis officia, loquemur candide de ea spe quæ sustentat animos nostros iuxta doctrinam diuinitus traditam, et perniciosos errores nostros pro nostra parua facultate tum dictis, tum factis refutabimus, quo loco commoremur non magnopere laborantes. Hoc amici mei propositum et scio esse DEO, sic cum supplex obsecro per Filium Mediatorem, ut meum imbecillem animum stabiliat et confirmet faciens me uas misericordiæ non tinatile discentibus. Amen. Tuam piissimam Coniugem, liberos, familiam, cognatos meos et notos benigne meis uerbis saluta. Si me uis magno beneficio demereri, da negotium alicui perito (nam tibi nolim molestus esse) ut emat mihi græca Biblia eleganter impressa, eaque compingenda curet dum a nundinis redeunt amici, argentum dabit Johannes Le Blod nomine filii, nisi mauis ab eo sumere, quem es isthinc (ut arbitror) profectionem missurus. Vale Ausburgi 27. Martii. 1560.

Vester Johannes Molanus.

Nr. 58)

Pax Christi.

M. Martino Berntro Embdæ. [Bernero]

[=Ascr. a. 11: Nr. 196]

Erudite uir quoties D. Hermanni Brassii recordor ueteris amici et quasi parentis mei quod sane filii intuitu sæpe mihi accidit, gratias ago DEO et me fœlicem deputo qui cum tali uiro necessitudine haberi et quasi fraternam coniunctionem. Neque dubitare debetis uel tu uel mater piissima quin mihi filius obseruandi fratris tam curæ sit quam uobis ipsis esse possit. Ejus studia stabilem progressum sortiuntur hactenus: spero fore per gratiam Seruatoris ut Ecclesia sentiat Brassium sibi in filio renatum esse. Religionis hic status confusus est, sed ea res nihil incommodat meis familiaribus, quos expedit ueram de DEO doctrinam et fundamenta syncere religionis tantisper ab uno discere donec ex temporis mora et Christi spiritu corroborentur. Proinde nolim de hac re uos laborare, dum mihi sana mens erit, nullis cultibus quisque aderit meorum qui non sint sanæ doctrinæ conformes. Qui Scholas hic regunt cordati uiri sunt, neque quenquam hic habemus, qui uim ullam nostræ fidei afferri aut libertati manum iniici patiatur. Quotidie experior (quod quidem ad res temporarias attinet) quantum dimissa petitis præstent, nondum tamen me ulla cepit pœnitudo huius uocationis, ut qui inthrimet imploraui tandem, Domini beneplacito fœlicitatem meam quantula est metiri; Tum autem si satis intelligam, quam fragile sit hoc figmentum nostrum, non debeo macerari si quid præsentis uitæ commoditatibus decedat. Duxi nuper meis moribus et famimiliæ idoneam, ea mihi inter ærumnas non mediocre subsidium præstat. Mer-